



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)



PRÆFATIO.



Prelo exiit, Lector Bene-
vole! Historiæ Ecclesiasti-
cæ, quam vertere aggres-
sus sum, Pars quarta.

Hæc Ecclesiæ Doctrinam, & Christia-
norum vitam, in Sæculo IV. ab An-
no 361. usque ad Annum 395. ti-
bi ob oculos ponet. Leges, quam
provide mirabiliterque Deus Opti-
mus Maximus Ecclesiam suam ab in-
sidiis versutissimi Apostatæ, qui solus
inter Romanorum Imperatores a Fide
Catholica semel suscepta perfide defe-

Julianus
Apostata.

) (a cit,

P R Æ F A T I O.

cit, liberavit. Profecto nisi Cœlum avertisset malum, Julianus Religioni Christianæ plus illudendo & contemnendo quam Antecessores eius persequendo nociturus erat.

In eodem hoc Tomo referuntur
Concilium
Constanti-
nopolita-
num. Acta Concilii Universalis Constantino-
politani, atque illud Episcoporum
Orientalium Decretum celeberrimum,
quod tunc quidem Episcopis Constanti-
nopolitanis primum solummodo Ho-
noris locum post Episcopum Roma-
num concessit, at posteriore tempo-
re iisdem Episcopis amplissimam in
alios Jurisdictionem usurpandi ansam
præbuit, Decretum Romanæ Sedi nun-
quam probatum, atque subsequenti-
bus quibusdam Ecclesiæ Constantino-
politanae Episcopis Ambitionis Mate-
ria, & irritamentum.

Occurret quoque Imperator Theo-
Theodosius
Magnus. dosius, rerum gestarum Gloriæ Magnus,
Beneficiis in Ecclesiam Jesu Christi col-
latis

PRÆFATIO.

latis Maximus, illius Veritatis Historicae & Testis & Exemplum, nullos Feliciores Potentioresve inveniri Principes quam qui Ecclesiae Romanae Fautores, Benefici & fortissimi Defensores extitissent.

Præterea in hoc Tomo legere erit SS. Patres. multorum SS. Patrum Vitam, Sanctitatem, Doctrinam, Theologiam, Mores, Libros & exantlatos pro Fide Catholica Labores; fuit enim Sæculum IV. Sanctis æque ac præstantissimis Ecclesiae Doctoribus fertilissimum. In eo S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Epiphanius, S. Chrysofomus, S. Martinus florere. Inde in ista Historiae Periodo Lectoribus Theologiae positivæ amantibus latissimus & jucundissimus campus aperitur.

Interim Interpres noster Germanus Catholicos & SS. Patres cavillari &

PRÆFATIO.

Interpretis
Protestan-
tis impro-
bitas.

spernere eorumque Doctrinam Lecto-
ribus suis perverse exponere non desi-
nit. Si ipsum audias, Veteres Chri-
stiani nihil, quod in Sacra Scriptura
non inveniretur, docebant, at hodie
in Ecclesia Romana multa traduntur,
quibus S. Scriptura refragatur. Puti-
dum Mendacium! Rursus: anile illud
& stupidum impudenter ingerit, Ca-
tholicos cum Idololatriis loqui & cre-
dere. Si ipsi fidem habemus, S. Au-
gustinus nec bonus Dialecticus nec bo-
nus Theologus fuit, nam in sua Anno-
tatione ad illum locum, ubi S. Augu-
stinus cum Fortunato Manichæo dispu-
tavit, dicere ausus est homo Theolo-
gica Disciplina nequidem leviter tin-
ctus, Manichæum causam malam me-
lius quam S. Augustinus bonam de-
fendisse, quod iste magis Rhetorica,
quam Logica valeret. Lib. XIX. §. XL.
Vah hominis insolentiam! Dum vero
Interpres noster omnium SS. Patrum
Laudibus aliquid detrahit, nullum non
Hære-

PRÆFATIO.

Hæreticorum genus Nestorium, Eutychem, turpem Vigilantium atque etiam abominandos Manichæos vel defendit vel excusat, ita ut isti Homini, qui Lutheri vel Calvinii Doctrinam ex omni generis erroribus pridem ab Ecclesia Catholica damnatis conflata festatur, jure merito illud Poetæ occini possit: *Et Documenta damus, qua firmus Origine nati.* Ovid. Metam. Verum enim vero plurimum interest hujus Homini Protestantis deprimere Auctoritatem SS. Patrum, quos in omnibus Sæculis sibi Adversarios & Catholicæ Veritatis Testes irrefragabiles experitur.

Ceterum hujus Protestantis Annotationes refutans sæpius observavi, viri Catholici adversus A catholicum disputantis (si ad alicujus Gentilis nullis in unam Partem præjudiciis occupati arbitrium provocarent) Conditionem & Causam ipsius Rei Natura esse meliorem,

P R Æ F A T I O.

liorem, eo quod Interpres noster, dum Veritatem Religionis Catholicæ impugnat, plerumque talia affirmet, quæ Catholici a se doceri vel credi negant; econtra quæ Catholicus contra Protestantem affert, ejusmodi sunt, quæ ipse ab Ecclesia sua doceri & credi confitetur. Hinc sufficit Catholico si probaverit, aliquem Doctrinæ Lutheranæ Articulum esse falsum, at Protestanti nostro contra Catholicum duo, & quidem ipsi impossibilia, probanda sunt, primum quod Romano-Catholici id credant, & doceant, quod ipse a Catholicis doceri comminiscitur, & alterum, quod Doctrinæ Catholicæ Articulus quem ipse impugnat, si hunc in Ecclesia Romana doceri Catholicus fateatur, Sacræ Scripturæ non sit consentaneus. Ejusmodi vero, si Doctrinam de Præsentia Corporis Christi in Evcharistia excipiamus, Interpres Noster paucissima adducit.

Per-

PRÆFATIO.

Perstringamus breviter aliqua, quæ
Interpres iste Catholicis objicere so-
let. *Traditio in Sensu Papistarum est* Traditio.
Doctrina, quæ Sacræ Scripturæ re-
pugnat. Quid hic respondet Catho-
licus? nempe simpliciter negat, dicit-
que, hanc insimulationem esse falsam
& in cerebro objicientis natam Tum
citatur Sacræ Scripturæ loca, quibus
singuli Catholicorum Articuli Fidei
nituntur.

Rursus: *Papistæ Romanum Epis-* Infallibili-
copum faciunt infallibilem, & Juris- tas SS. Pon-
didionem tribuunt aliorum Episcopo- tificis.
rum Potestate majorem. Observavi,
hunc Interpretem, quotiescunque de
Infallibilitate Romani Episcopi loqui-
tur, vel stupide nescire vel mala fide
dissimulare, in quo Sensu tota Ecclesia
Catholica Papæ Infallibilitatem tri-
buat. Ideoque hæc objectio in ore
ipsius vel est turpis ignorantiae par-
tus, vel mendacium. Quod per-
tinet

PRÆFATIO.

tinet ad alterum membrum; Romano Pontifici competere Jurisdictionem in totam Ecclesiam, facile probo ex multis aliis JESU Christi verbis & præsertim ex illis: Luc. XXII. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua. Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Cum enim hæc Verba solum de confirmandis cæteris Apostolis a JESU Christo ipso missis & a Spiritu Sancto sensibilibiter illustratis accipi non possint, ad S. Petrum & Successores ejus dicta fuisse credi debent, nisi quis putet, hæc JESU Christi verba esse inania, & congruo sensu carere.

Iterum objicit Protestans noster;
De Merito. Doctrinam Catholicorum de Merito esse JESU Christo contumeliosam. Id quoque negando diluitur, donec ipse probaverit. Nos vero JESU Christi Verbis sensum litteralem, & proprium inesse credimus, dum dicit: Matth. V.

Quo-

PRÆFATIO.

Quoniam Merces vestra copiosa est in Cælis.

Præterea: *Catholici Cultu Idolo-* Idololatria.
latrice Crucem & suos Sanctos co-
lunt. Quid ad hoc Catholicus respon-
deat, nisi nego, mentiris?

Tandem: *Catholici superstitiose cre-* Superstitio.
dunt, se per miracula non a Jesu Chri-
sto, sed a Sanctis aut etiam a virtute
e Sanctorum vestibus exeunte iuvari.
Id dicit Interpres in sua Parte quinta
p. 188. Hoc iterum negando solvitur,
nam æque ac priora falsum est; sed
Catholici Prodigia & Beneficia soli
Deo, licet quandoque ad intercessio-
nem Sanctorum, tribuunt. Simili fun-
damento scilicet nullo nituntur reli-
qua, quæ Interpres contra Doctrinam
Catholicam scripsit, nam non objicit
plerumque ea, quæ Ecclesia Romana
docet, sed quæ non docet.

Econtra autem, quæ Catholicici de
Protestantium Doctrina affirmant, ea
ipsis

PRÆFATIO.

Sacramen-
ta.
ipsis Protestantibus fatentibus ab illis
docentur. Afferamus hujus rei Exem-
pla. Dicimus, Acatholicos quinque
Sacramenta, efficacissime Salutis nostræ
auxilia, a JESU Christo instituta, reji-
cere. Hoc ipsi non negant, nos vero
Singula non posse rejici ex Sacra Scri-
ptura probamus.

Caput Vifi-
bile.
Dico, Interpretem nostrum in Ec-
clesia existere, quæ visibile Caput non
habet. Hoc ipse non negat, & tamen
demonstrare non potest, Ecclesiam Vi-
sibile Caput non habentem esse illam,
quam JESUS CHRISTUS fundavit, deest
enim Fidei Unitas. Nam si quæro ab
ipso, quo Signo, quo Argumento aut
Indicio illam Unitatem JESU CHRISTI Ec-
clesiæ adeo necessariam Protestans in
sua Ecclesia inveniri probet, nullum
aliud affert quam S. Scripturam & Se-
parationem ab Ecclesia Romana; illud
nimirum argumentum, quod omnibus
retro Hæreticis ab Origine fundatæ Ec-
clesiæ commune fuit.

Dico,

PRÆFATIO.

Dico, ipsum nulla merita humana Meritum.
admittere. Hoc ipse non negat. Verumtamen si S. Paulum objiciam loquentem de: *Corona Justitiæ, quam reddet mihi Justus Judex.* II. ad Tim. IV. non habet, quod respondeat, nisi inania.

Dico, ipsius Ecclesiam Potestatem Potestas Clavium.
Clavium in Sensu Romanæ Ecclesiæ, & Indulgentias, rejecisse. Hoc etiam non negat. Si autem quæram, quomodo Jesu Christi Verba Matth. XVI. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis;* accipienda sint, hæc ipse in aliquo sensu rationi consentaneo explicari nequit.

Dico in ipsius Ecclesia rejecta fuisse Bona Opera & Vota Voluntaria. Bona opera.
Hoc iterum non negat; verumtamen negare non potest, Jesum Christum in
Evan-

PRÆFATIO.

Evangelio Bona Opera suasisse, & Votorum usum in vera Ecclesia semper viguisse.

Itaque, quæ ego objicio Interpreti nostro, ipso fatente in ipsius Ecclesia docentur, quæ ipse nobis Catholicis oggerit, falsa sunt & commentitia. Pauca autem, quæ objicit, & revera in Ecclesia Romana docentur, facile probo tam ex Sacra Scriptura quam Testimonio Romanæ Ecclesiæ. Ipse ad ea probanda, quæ affirmat, nusquam alicujus Ecclesiæ Auctoritatem adducit; & quidem prudenter filet, nam cujus Ecclesiæ testimonio se tueretur, nisi forte talis, quam alicubi terrarum ante Lutheri tempora extitisse, nec ipse Interpres nec quisquam alius unquam posset demonstrare.

Habe tibi & istam Historiæ Partem,
Amice Lector! & Vale!



CON.